

B. M. II, 293.

h. 56, 22.

(X1876320)

II R
622

Oratio

DE

SS. LEGUM

DIGNITATE, AMPLITU-
DINE, UTILITATE. ET
NECESSITATE.

Approbante Viro Magnifico, Dn.

ERNESTO COTHMANNO ICto,

Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. IOANNIS ALBER-
TI Ducis Megapolensis &c. CANCELLARIO dignif-
simo, nec non Academiae Rostoch. Profef-
sore clarissimo;

In florentissima Rosarum Academia

Publicè recitata

à

MARTINO SILLERO Memel. Borusso
SS. LL. Studiofo.

In Auditorio Magno 7. Decemb. S.V. hora 9.

Anno 1614.

ROSTOCHII

Excudebat Ioachimus Pedanus

Anno M. DC, XV.





Generoso, Magnifico Viro,
DN. CHRISTOPHORO RAPPE,
Serenissimi & Potentissimi Electoris Do-
mini, Dn. JOANNIS SIGISMUNDI, Marchionis
Brandenburgensis, Ducis Prutenici, &c. Consiliario pri-
mario & Cancellario gravissimo, humaniorum studio-
rum egregio fautori, magno meo Domi-
no & Promotori.

S.



*Uam nuper, Vir Generose ac Magnifice, publice
in illustri ad Varnum Academia, approbante
& intimante Viro Magnifico Dn. ERNESTO
COTHMANNO, Jcto celeberrimo, Illu-
strissimi Principis ac Domini, Dn. JOANNIS
ALBERTI, Ducis Megapolensis, &c. Cancel-
lario dignissimo, nec non Academiae Rostochiensis Professore
Clarissimo, de Juridicinis & L L. dignitate, amplitudine, utili-
tate & necessitate, exercitij, ingenijs, excolendi causa, orationem
studiorum meorum rationi accommodam, habui, eam silentio
potius aeterno, quam prelo submittere apud animum quidem con-
stitueram, cujus quippe institutum passim apud nostros superio-
risq; seculi scriptores reperire, licet fusiori elegantiori, filo &
STILO pertractatum. Verum cum semper mihi animus fue-
rit, Vir Magnifice, te aliquando reverenter salutare, idq; non
sine literario quodam munere (cum aliud majus ob temporis
injurias*

injuriam non suppetat) hac in parte Persicam illam legem mihi
fixam judicans, qua pro suis facultatibus Regi suo munera offerre
tenebatur quisq;: non potui, ut nec debui facere, quin hac occa-
sione animo meo satisfacerem, tibiq; exiguum hoc munusculum
chartaceo inclusum vasculo eâ, quâ par est reverentiâ, offerrem:
cum quia explorata mihi singularis tua erga me meosq; benevo-
lencia: tum vel maximè, ut ego hoc novo anno (quem tibi toti-
patriæ felicissimum velit Altissimus) mea ob benevolentiam in me
meosq; tuam gratitudinis κειμήλιον tibi consecrarem, tantum
aliquale. Accipe igitur, Vir Generose & Magnifice, munuscu-
lum hoc exiguum Persicâ & serenâ fronte, & cum munere isto
meipsum, & animum hunc tibi inprimis deditum atq; addi-
ctum, tum officio omni, tum voto: quod pro vita atq; incolumi-
tate tuâ devotè ad DEVM concipio, Scribebam Rostochij
ex museo meo 17. Januarij stylo veteri, Anno æra Christiana
M. DC. XV.

G. T. Magnificentiæ

Officiosissimus

MARTINUS SILLERUS
Borussus.



A

Erne-

Ernestus Cothman Juriscon-

sultus & Acad. Rostoch. Professor P.

Civibus Academiae Rostochiensis

S. P.

Jurisconsultus Pomponius, postquam origi-
nem & necessitatem Legum & Magistra-
tuū exposuisset, Parum est, inquit, jus in civi-
tate esse, nisi sint qui jura regant. Quibus ver-
bis sapientissimè & pulcherrimè docet & osten-
dit, quomodo societas humana constitui, & si-
mul conservari debeat. Et initio affirmat, non
manu vel arbitrio hominis, sed legum presidio
Regna, Civitates & Respublicas gubernandas
esse. Deinde pios, probos, & rectos viros deli-
gi jubet, qui jurisdictioni praesint, jus & justitiam
administrent. Deniq; legum interpretes &
peritos juris adhiberi summe necessarium putat,
qui jura regant, & ad societatis humanae usum
prudenter & perindustriè accommodent. Sunt
leges mundi anima, imperiorum oculi, civita-
tum moenia, rerum publicarum fulcra, morum
regina, societatis civilis vinculum, amicitiae &
charitatis sancta & sincera nexus. Sunt le-
gum-

gumlatores, interpretes, & Doctores Dei Opt.
Maximi, & Jurisperiti cælestis fideles operarij,
Justicia sacerdotes, mundi illuminatores, Im-
peratorum, Regum, Ducum, cæterorumq; ma-
gistratum parentes, qui negocijs secularibus
implicati plerumq; , etiam præ illis, qui cælestia
agere dinoscuntur negocia, cor semper sursum
habent, & in terrenis rebus levant cor in cæ-
lum. Quod encomium de Jurisperitis & viris
prudentibus Sancti Augustini est, cui concinit
magni illius Platonis judicium, quando scribit,
legibus vacare, est Djs, & his, qui honestè
& inculpate vivunt, servire, adeò ut quasi
divinus Jurisperitus debeat pronunciari. Etsi
verò post primorum parentum lapsum instar
cæterorum Dei donorum & bonorum ipsa
quoq; jurisprudentia multum est obscurata, &
jus sæpius variatum, sed & Magistratuum, Judi-
cum & Jurisperitorum sententiæ admodum con-
fusa & incerta sunt reddita, tamen id legibus &
justitiæ nihil detrahit, cum justitiæ per se non sit
varia nec mutabilis, sed tempora, quibus
presidet, non pariter eant: Tempora enim sunt,
& quas leges belli necessitas imperat, has pacis

lenitas sopit, & vice versa, quæ in pace lata
sunt leges bellum abrogat, & sunt præterea aliæ
rerum vicissitudines, quibus legumlatores &
interpretes permoti leges abrogandas, obrogan-
das, derogandas vel subrogandas esse arbi-
trentur, tantumq; abest, ut, illis casibus, leges
mutare malum sit, ut etiam malum sit, nisi
mutentur. Quæ porro legum & juris præcipue
processui hodie adheret prolixitas & confusio
non à Jurisperitis emendari potest, sed per Ma-
gistratus tolli & coerceri merito debebat.
Monstrarunt certè istius reformationis viam
Jurisconsulti præclare eruditi, neq; defuturi
essent, qui rem ipsam aggredierentur, si Justi-
nianus aliquis surgeret, & illi rei auctorida-
tem & jussum suum accommodaret. Deniq;
quæ Jurisperitis exprobrari solent vitia, non
juris artem, neq; leges sacratissimas attingunt,
sed quorundam vel superbiorum vel sordido-
rum Leguleiorum perversitati ascribenda
sunt. Cuiusmodi etiam næves in aliorum, cu-
juscuq; conditionis, hominum vita & mori-
bus cum cernere & observare liceat, commune
utiq; vitium non solis Jurisprudentibus, multoq;
min.

minus juris scientia sanctissima, impitari po-
test. Tollatur ubiq; rei abusus, & maneat ve-
rus illius usus. Amemus & colamus jurisperu-
dentiam, sine qua nec stare res, neq; mores ho-
minum constitui, componi aut temperari ullo
modo possunt, sine qua prudentissimus cautissi-
musq; rerum homo, quisquis sit, quantumvis
felici sydere natus, nemo unus evaserit un-
quam, sine qua aequi & boni quoq; speciem com-
prehenderit vix unquam quisquam bene, nec
si se dederit totum philosophia, nec si literis sa-
cris. Nam Philosophia universa tantum pra-
cepta regenda reipubl. nos docet, nec attingit
singula quaq;, Theologia pietatem docet, &
verum Dei cultum, simplicitatem, equanimi-
tatem, patientiam, contemptum rerum hu-
manarum, uti praclare & verè scibit Jacobus
Cujacius Iuris Interpretum Coryphaeus. Sed
sola Jurisprudencia suum cuiq; in specie tribuit.
Cum verò hanc rem adolescens bene eruditus
MARTINVS SILLER Memelensis Bo-
russus oratione docta & elegante comprehen-
derit, & legum maiestatem, dignitatem & ne-
cessitatem rationibus ex jure divino & humano
peti-

petitis ostenderit, & simul juris interpretibus
& Doctoribus suam laudem deberi argumen-
tis solidis demonstrarit, eamq; orationem die
crastina hora 9. in Auditorio magno per Dei
gratiam recitaturus sit, ut & seipsum ad dili-
gentiorem legum cultum exsuscitet, & secum in
eodem stadio decurrentibus calcar addat, ca-
terosq; ad idem studium magis invitet, & à me
enixè contenderit, ut de hoc laudabili proposito
Academiae nostrae Magistratum & cives
publica intimatione reverenter & amicè ad-
monerem, & pia illi atq; justæ petitioni deesse
neq; potuerim neq; debuerim, Magnificum
Dnm. Rectorem, Reverendos, Clarissimos,
Consultissimos & Doctissimos Dnos. Professo-
res, Doctores, Verbi divini pracones, Magi-
stros, deniq; nobilissimos & lectissimos studiosos
cum observantia & peramanter oro, ut ad
recitationem illam frequentes conveniant, sua
praesentia actum illum publicum non solum ex-
ornent, Sed & benevolentiam atq; amorem su-
um erga adolescentem bonum & doctum atq;
Academiae nostrae membrum frugiferum haud
gravatè declarent. Quod superest, Illustrissi-
mos

mos & Celsissimos Principes Megapolenses,
Dnos nostros clementissimos, & utramq; civi-
tatem Academicam & oppidanam rerum om-
nium Conditori & Conservatori potentissimo
commendo, & pro avertendis, quæ toti Ger-
mania imminent, periculis & calamitatibus,
misericordi Deo supplico, eumq; ut communem
patriam, tum verò inprimis utramq; hanc
republicam in unitatis studio conservet, to-
to pectore & votis ardentibus invoco & pre-
cor. Idq; à majestate cœlesti facilius impetra-
tum iri spes est, si singuli jus bonum & æquum
sibi denuncient, & quisque suo loco officium
humiliter faciat, & collegas sincero amore,
sine exoticarum nationum prestigijs, Germanè
complectatur. P. P. Rostohij 6. Decembris
Anno 1614.



B

Еуко-



HOC homini natura est in-
fitum, Magnifice Dn. Rector,
Viri Reverendi, Clarissimi, Præ-
stantissimi, Tuq; nobilissima stu-
diosorum juvenum corona. Hoc,
inquam, homini natura est infi-
tum, ut ad optimarum rerum co-
gnitionem feratur, sed eidem &
hoc infitum, ut quàm facilimè pos-
sit in devium abripi, & sub specie, quod apparet bonum,
non bonum apprehendat. Proinde cautè homini studioso
in hisce rerum cancellis est currendum, & inprimis illo-
rum vestigiis insitendum, qui optatam aliquando me-
tam sunt consecuti. Et cum non unâ sed omnibus ad vi-
tam benè degendam adinventis disciplinis animum no-
strum expolitum esse conveniat, & pleriq; aut injuria for-
tunæ, aut ætatis conditionibus, aut ingenii imbecillitate
in singulis fertulum triumphale referre nequimus, his qui
contractiori curriculo stationem hic suam obsepiverunt,
maturè metâ suorum laborum est præfigenda, nè dum in
omnibus se Musarum ægasterijs exercitos volunt, in nullo
& studio & vita dignum reportent præmium, nevé per in-
ane ruant, litusq; quod ajunt, arent.

Verùm cū non minimum hoc ipsum, atq; adeò ipsius
artis sit, deligere ea, quæ nobis in tota vita & honori &
emolumento futura sunt; Quando enim ipsum Hercu-
lem tentârat bivium, quo in hanc plagam ad virtutem, in
alteram ad turpitudinem ibant, ipse obitupefactus hæsi-
tavit. Quid animi sæpenumerò consilij experti esse
putatis, ubi non inter duas Herculis vias, sed inter sex
centa

centa vitæ genera constituitur. Sed, quod vulgariter dicitur deliberandum est diu quod statuendum est semel, & quò quid laboriosius cæpit, eo & fortius radicibus actis robur & incrementa sumit. Quocirca, Auditores, non jam dicam de optimo vitæ genere eligendo, cum ea prudentia hanc meam ætatem, imò meum ingenium fugiat, & vix juveni de eo consulere conveniat; Neq; commemorabo varia variorum in studijs instituta, aut ad quid plerumq; inclinatio extendatur, Neq; expendam disciplinarum singularum aut amplitudinem aut eminentiam. Sed cum ingenij hæc tenuitas, adeoq; ipsa vitæ conditio me non tam aptum quam proclivem ad Sacratissimarum Legum studium suavi velut illicio invitârit, semper ob oculos quasi obversata est Juridicinæ commendabilis amplitudo & amplissima commendatio. Verum-enim-verò cum hujus tam nobilissimæ, tam eminentissimæ materiæ dignitatem cum viribus meis comparo, video meam balbutiem à debita Jurisprudentiæ commendatione infinitis parasangis relinqui; inprimis cum à Platone præclare dictum sciam, orationi atq; ijs rebus, quæ oratione tractantur, quandam inter se cognationem intercedere oportere; & videam, ipsos Eloquentissimos apud veteres Oratores, aut hæsitasse, quod nobili cuiquam Sophistæ coram Annibale exquisitâ concione de rebus bellicis disquirenti, accidisse, fertur: aut verecundiæ turbatos obticuisse, quod ipsi Theophrasto, ab incredibili eloquentiæ dono sic dicto in oratione ad Athenienses habitâ, si Aulo Gellio credimus, obtigit; aut suam tum eruditionis, tum auctoritatis tenuitatē exposuisse, Quod ipsum Marcum Tullium in Maniliana mirâ sui commendatione fecisse videmus. Tanto itaq; oneri Jurisprudentiæ, inquam, laudibus, meam imbecillitatem sufferendo haud

esse meapte profiteor sponte. Quare hoc duntaxat mihi relictum sit, qua par est observantia contendo, ut cum in altissimum omnimodumq; Jurisprudentiæ encomium conscendere haud queam, mihi ad ejus fastigij peristylium considerare liceat, deq; Sacratissimarum Legum cum Amplitudine, tum dignitate brevi & exili orationis genere nonnulla, non dicendo ad Themidos fanum orationem appendere, sed ad laudatissimum tyronum morem rei expetendæ admirationem contemplando delibare. Quod dum adnitor exempla eorum, quos summo cum favore ex hoc loco dicentes sæpius audivistis, ipsaq; horum exercitiorum nunquam satis laudata utilitas me ita animarunt, ut mihi nihil nisi, ad quam vos alioquin hoc ipso tempore locoq; congregatos novi & video, solitæ benevolentia continuationem putem expetendam.

Principio si quæ à dignitatis laude efflorescit res commendanda, si qua dignitas ab antiquitate extollenda prominet, si qua antiquitas ab ipso naturæ primordio ortum trahit illustrem, ipsa profectò Sacratissimarum Legum constitutio est. Etenim cum priscorum philosophorum pleriq; diversis occuparentur studijs & Heraclitus Ephesius Democriti & Anaxagoræ synchronus assereret, nihil in humanis rebus esse certi, nullam fixam scientiam, sed omnia variabili & fluxu ferri cursu, numquid eum tam vecordem existimeris, quin distinctis ab humanis rebus divinis in divinissimarum rerum scientia certitudinem ultrò concesserit? Quid verò certiùs eò, quod perpetuis viguit temporibus? quid sanctius eò, quod naturæ ipsi suavi eoq; sacratissimo velut thyrso insitum, inditumque? Quid divinius eò, quod DEum immortalem primum & ultimum jactitat autorem & fundatorem? Hoc vix de quaquam alia præter unicam Legis scientiam

tiam verius affirmare poteris. Hujus principia non lata sed nata sunt, quæ non varia demum experientia edocti discimus, aut ab alijs gentibus exulta accipimus, aut sinuosis scriptorum voluminibus exarata legimus, verum ex natura ipsa primâ quaque rationis libertate arripimus, haurimus, exprimimus, ad quæ nos non doctos sed factos, non institutos sed imbutos esse noverimus. Quod vel hinc elucescit, quod vix tam inculta gens, tam barbarus populus, quin aliquas justis ac æqui scintillas in vitæ societate, & eorum commercijs persentiscat. Cum itaque in ipsa ratione fundata & penitus radicata sit divinissima sacratissimarum Legum natura, quis neget eam Soli & uni DEO acceptam ferendam? quis illustrem earundem originem à Solonis axibus ligneis, in quas ilius leges incisæ fuisse feruntur, deducat? quis Lycurgi oracula hoc nomine vel in suspicionem primi legum ortus vocet? quis duodecim tabularum quibus Romani olim unice jus dicebant, compagem in medium adducat? DEUS, DEUS ille Israëlitis, qui ab inscrutabili bonitate ter optimus, ab investigabili Potentia ter maxumus nuncupatur, hic, inquam, regulam suæ justitiæ, prima in Creatione homini inspiravit, inspiratam & postmodum lapsu protoplastorum penè extinctam postliminio quasi revocavit & veluti ex cineribus promulgatis tremendâ omnino majestate in monte Sina per Moysen duabus Saxeis tabulis exfuditavit, excoluit, illustravit, propagavit. Huc haud dubiè naturæ quodam instinctu, & juridicæ sanctimonia & auctoritate id præ se ferente, veteres Ethnici respexere, qui cum cæteras disciplinas ac artes ad eos referrent, qui ob ingenij acrimoniam & judicij in ea arte dexteritatem inter DEOS sunt relati, ut hoc pacto laboris & inventionis suæ præmium æter-

nam nominis famam reportarent, inter quos Æsculapius medicæ artis repertor, Atlas Astrologiæ inventor existimatur; Numa Pompilius in religionis ceremoniis nocturnos Ægeriæ nymphæ congressus simulavit. Solas tamen leges non ab hoc aut illo Deastro, sed à dijs Immortalibus profectas esse omnes unanimi suffragij lance statuerunt: Vnde veteres Legumlatores à Dijs Leges suas productas, horumq; oraculis approbatas religiosissime affirmarunt. At verò quanto ipsæ noctis tenebræ distent intervallo ab ipsius Solis splendore, tantâ eminentiâ & nostra, laus Deo Cunctipotenti, cognitio de prima Legum origine præstat Ethnicorum cæcitati. Non itaq; commentitia oracula, non obscura obscurorum dæmonum responsa quicquam autoritatis sive lucis conciliabunt legum dignitati, Sed cum DEUM jurisprudentiæ fontem dixerimus, omnia diximus. Is enim postquam singulari velut jurisdictione gens Israëlisset compescenda primitus sublato à Mose Sacerdotio, & Aaroni commisso, ipsum judicem & justiciæ Sacerdotem constituit, ut causas controversas decideret, & secundum præscriptarum legum cum forensium tum Ceremonialium tenorem controversias dirimeret, diremptas componeret, ac pristinæ tranquillitati restitueret, aliosq; adiunctos voluit inferiores, qui ipsi in perplexarum rerum decisionibus fidam adderent opellam, à quibus ad Moysen tanquam Judicem supremum provocare erat licitum: Quis jam ex immota justiciæ regula ac norma in mente divina lucēte, & in prima homini creatione benignissime collatâ, posteaq; in decalogi promulgatione magna & admiranda majestatem repetitâ & patefactâ, tanquam ex limpidissimo fonte immensum illud & vastissimum divinissimarum Legum pelagus promanasse inficiabitur? Quis non

non

non exinde necessaria & probabili ratione beneficio
naturalium principiorum singulas derivari posse nega-
bit? Et cui obscurum esse potest, quanta evidentia illa
primaria Juris præcepta exprimant alteram decalogi
tabulam; quibus docemur; Honestè vivere, alterum
non lædere, ius suum cuiq; tribuere. Ô illustrem legum
ortum! Ô admirabilem civilis scientiæ splendorem! Ô
augustam & omni prædicatione maiorem Iuridiciæ
majestatem! Quæ enim major dignitas, quæ dignior
nobilitas, quæ nobilior excellentia & celsitudo legum
esse potest, quàm quod à virtute divina productæ, &
quasi è cælo Deorum Immortalium benignitate delap-
sæ censeantur? Ô divinas Leges, Ô cælestes leges, Ô nun-
quam satis laudandas leges, ! Rectè ergo divinus Plato,
quos de legibus libros fecit, à Deo Legum conditore, sine
quo leges constitui non posse aserit, exorditur. Rectè
Demolthenes Oratorum apud Græcus facile princeps in
priori oratione adversus Aristogitonem habita; Legem
inventum quoddam & donum deorum dixit, quem lo-
cum integre à Marciano nostro in l. 2. ff. de legibus re-
ferri etiam me tacente optimè novistis. Rectè Romanæ
eloquentiæ signifer ac parens Marcus Tullius (in pri-
mo de legibus) ait: Legum rationem summam infi-
tam in natura quæ jubeat ea, quæ facienda sunt, prohi-
beat verò omittenda. Eandemq; (in Philippicis) re-
ctam à numine Deorum tractam rationem definivit.
Neq; diversum quicquam pronuntiavit Mercianus in
d. l. 2. ff. de legibus. quando, secundum id quod dicitur
in proœmio libri quem de lege fecit Chrysippus, in-
quit, Legem rerum tam divinarum quam humanarum
omnium reginam esse. Unde & Imp. Iustinianus leges
à divina illuminatione sanciri docuit. Ulpianus in l. 1.

P. 5.

§. 5. ff. de extraordinarijs cognitionibus. Civilem sapientiam rem sanctissimam, religiosissimam, pulcherrimam & honestissimam appellare non dubitat, eamq; pretio nummario aestimari nefas arbitratur flagitiosum. Sed quorsum abripior, Auditores, hisce percensendis, quis Imperatorum non religiosè & sentit & locutus est de legum dignitate, quis Interpretum earundem auctoritatem non tanti aestimavit, ut inprimis abstinuerint quicquam affirmare nisi id munitum sit aut muniri possit inviolabili legum auctoritate? Quid necesse est huic rei aliunde argumenta accersere? cum ipsa si in sui amorem & laudes resolveretur amplissima Legum auctoritas, non celebrius aut copiosius, aut majori cum dignitate videatur explicatura splendorem suum, quam ab inclutæ nostræ & florentissimæ Academiæ Antecessoribus & professoribus quotidie fit, imò quàm ipsum publicorum Iudiciorum tam urbanorum, quàm provincialium exercitium evidenti & oculari testimonio in aprico constituat. Et profectò si perpetuam in civicâ societate commodorum seriem animo vultemus nedum oratione commemoremus, quod inprimis difficile est, neq; huic tempori ac ætati meæ accommodum, si levi saltem brachio ad calculum revocaverimus eas utilitates, quæ ad universam rempublicam redundant longè maximas, deprehendemus nihil legibus ipsis esse utilius, nihil in republica fructuosius: Pone Sodes ob faciem & aciem animi singularem vitæ rationem, quam maximè semper omnes appetiverunt, & qui sunt in fastigijs dignitatum, & qui sunt in plano constituti, quàm legum beneficio quorumvis votorum suorum exoptatissimos consequantur exitus, quàm adeò omnium securi sint molestiarum, ut in terris penè cælestem sibi decernant commorationem.

Deinde

Deinde, quod quicumq; se profitentur huius magni Mundi cives, & in commercijs vitæ mutuis non exasperentur odijs, quod ad vitam politicam apti & astricti, quod congressibus & conventibus aliorum honestè interesse queant, quod in humanitatis & virtutum stadio & studio certatim & viriliter contendunt, id omne si non à legum est aut benefico aut exercitio, non satis certò scio, unde tandem aut fundamentum, aut incrementa, aut subsidia sperare & postulare respública queat.

Vidit hoc & prudenter vidit Plato, à doctrinæ san-
ctimonia & veritatis luce divinus dictus, in quinto de
legibus. Cui magnum istud Romanæ Eloquentiæ mi-
raculum Cicero adstipulatur, & utriusq; certè si non
eadem elocutio, eadem tamen est calculi jactatio ac
sententiæ confirmatio, videlicet bonarum legum sancti-
ones ob id esse factas, ut salus civium esset, & incolumi-
tas urbium in quiete & beatitudine vera componeretur;
hominisq; vita in solidæ tranquillitatis portu conserva-
retur. Nec enim majoribus nostris, cum de legibus in-
veniendis & promulgandis solliciti fuerunt, aliud propo-
situm aut persuasum fuisse credimus, quàm ut sui cives
conjunctionis & convictus fructum caperent. Legi-
bus itaq; & nos hodie acceptum feramus oportet,
quod plerumq; pacatis utamur temporibus, & ita va-
riarum rerum fluctibus compositis, ut eorundem tran-
quillitate freti ad beatas felicitatis & veri boni insulas
tutò navigemus: Et quod in optimæ civilitatis pro-
montorio perpetua statione quasi degamus, quod si-
ne interni pavoris tumultibus & externis furoris &
injuriarum assultibus versemur. Et quantum hoc est,
quod sine cujusquam malevoli imposturis quisq; pro-
pria nostra possideamus, tutemur, adaugeamus.

C

Virtu:

Virtutem mihi vide, Quid quæso omnis generis illecebras retundit? quid libidinū lenocinia coercent? quid terribilissimas vitiorum flammæ cohibet? Lex certè hæc est; Et sanè omnium & humanarum opinionum & voluntatis sublimis illa imperatrix Virtus nusquam unquam magis, quàm intra Legum pomæria vigere conspicata est. Spaciamur in divinorum & humanorum jurium circos, & reperiemus omnia inviolabilia, nulliq; nequitiae penetrabilia adyta, sed Legum custodijs & perpetuis æquitatis vigilijs circumvallata. Leges omnimodam securitatem exercent, temeritatem coercent; audaciam frenis ac catenis constringunt, violentiam impiorum effringunt. Leges Tyrannidem abominantur, innocenti subsidio sunt, Inopes tutantur, fœdera non patiuntur temerari, nec cives sine morum honestate vagari. Leges efferatam iniquitatem depellunt, maleferiatam levitatem animis evellunt, turpitudinem nobis exuunt, ut pulchritudinem induant. Leges in transgressorem severa castigatione animadvertunt, ut alios à scelestorum contagione retrahant, alios ab instantis pravitatis curriculo deterreant, rursus aliorum quodammodo frugem expertæ, illos plenâ manu remunerant, & in honorum fastigijs constituunt, ut Socordia debitis afficiatur pœnis & dedecori; gnaviter verò in omnigenæ virtutis teatro desudantibus palma deferatur. Quos extrema ad terram calamitas afflixit hos erigunt Leges: Imposturas cum suis Magistris & Ministris proscribunt; leges neminem in paupertate vivere aut in egestate mori permittunt: Et quid proderit singula longius repetere? Leges alexipharmaca sunt, panacea sunt, Leges tollis? ipsum è medio Solem sustulisse censebere. Quis non dicam dabit, sed vel finget vitæ securitatem.

tatem, & tutam bonorum possessionem. Quis ad-
struet, nisi idem Legum adminicula magnificerit: det
Misonomus imperia sine truculentia, ubi exulant leges,
det Societatem sine Conjuratorum conspirationibus,
ubi proscripita sunt jura. Nulla urbs sine moribus,
nulla respublica sine functionibus, ubi Legum nullus
vigor, nulla administratio: Profectò si leges à civita-
tum collegiis procul exulatum ire jusseris, coibunt vir-
tus, pudor, honestas, coibunt & interibunt: Et horum
supplebunt vices phalerata phalange vis, dolus & frau-
dulencia, ex rapinis vitæ sustentatio quæretur, vexil-
la ducent iniquitatis manipuli, tyrannis cum ipso san-
guine animos absorptos percuperet, nisi reverentia le-
gum impediret, & jam machinantes ab instituto retra-
heret, & tempestivo suffusos pudore perpetuis con-
scientiarum stigmatibus excruciet: omne studium ve-
ri & honesti, dii boni! quanta egestate obruta & lu-
ctuum squalore penè consēpulta conspicerentur. Le-
gem tolle & promiscuè omnes mali futuri ex homini-
bus bruta efficientur: omnia mundi regna Solo æqua-
buntur, curiæ desolatæ opisquæ indigæ pro consilio
turbas, pro medela venenatas cuspides deproment ci-
vibus. Ì nunc & Legum utilitatem summam esse ne-
ga; Ì nunc & expers Legum vivere gesti, ò deplo-
randum sæculum, si legibus carendum esset, ò ferina
vita, ò bestiales mores! quis non cohorresceret? Fin-
gite enim animis, Auditores, (cum hoc liceat intellectus
operatione,) Sacratissimarum Legum destructionem.
Exulet Legum & justiciæ administratio, proscriban-
tur Anabaptistarum voto Magistratus, propellantur
judiciorum exercitia, justi & æqui officina, Curia in
singulis benè constitutis rebuspublicis subvertatur, vi-
vat

vat quilibet pro lubitu, fornicetur, furtis sese oppleat,
cupiditatum illecebris non modo vitiosus domi, sed pro-
fligatae turpitudinis adulator, omnibus fœdarum volu-
ptatum lenocinijs & latrocinijs inquinatas porrigat ma-
nus: Parricida cedem cædibus cumulet, blasphemiarum
architecti etiam in DEOS diris involent; nulla
sexus aut ætatis aut dignitatis ratione habitâ, furori-
bus nefandis sæviant tyranni, iuops ex alterius partis
& vi ad se raptis vivat, ut singuli in vitæ periculis & in
mortis nefandæ confinia constituti censeantur. O fu-
riæ, ô execrandæ intemperiæ! ô funesta omnis virtutis
desolatio, ubi leges exulant! Videor mihi in orci te-
nebras respexisse, & ad phlegetontis carceres devolu-
tus esse, & iam majori cum gaudio, & veriori, quam il-
le qui in Utopia felicitatem, qualis non speranda, fin-
xit, redamo fortem quâ communiter fruimur omnes,
Legum nempe usum; ô hominis stulticiam si quis ar-
bitratus fuerit inter homines, at sine lege, vivi posse!
O contra hominis sapientiam, qui nihil tutum sine le-
gibus censuerit. O Legum sancta utilitas, ô utilis
earundem sanctitas. Quid quæso non modo nos ho-
die, sed à primo rerum exordio omnis omninò vita
hominum sine legibus potuisset? Leges urbes & respu-
blicas pepererunt. Leges dissipatos homines in socie-
tatem vitæ convocarunt, Leges sunt morum discipli-
narumque magistri: Leges morum inventrices, vitio-
rum ultrices, expultrices, actionum emendatrices; à Le-
gibus vivendi ducitur doctrina: à legibus dirivatur o-
mnis felicitatis copia, à Legum inviolabili constantia
omnium rerum dependet certitudo: à Legibus virtuti-
bus præmia decernuntur, vitijs supplicia addicuntur: ô
Legum sanctimonia frugifera! sine legibus nec domus
ulla,

ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus stare potest, ut Eloquentiæ Magister Cicero eas commendare haut veretur. Omnia incerta, fluxa, periculosa erunt, ubi à legibus discessum fuerit. Leges quoque huc spectant ut reipublicæ salus, in primis civiumq; conjunctio incolumis & stabilis florescat, quam si quis infractum concupiverit, eum exilio, vinculis, damno cohercent; si quis diremerit eum morte ignominiosissima afficiunt. O pulcherrimum omnis reipublicæ decus, Leges! ô singularia cujusq; refugia & tutamina Leges! ô totius orbis fabricæ, normæ & amasses Leges. Hæ rerum dominos & sanctos urbium Senatus in sui amorem rapuerunt, & ad experientæ fanum quasi viam duxerunt, unde factum ut pleriq; aut ipsi animus ad jurisprudentiam appulerint & in hanc laudem incubuerint, aut saltem eis, qui se in ejusdem Sacrosancta Themidos collegia intulerunt, favoris auram suaviter aspirarint.

Factitatum id accepimus à Morco Antonino, à Iuliano, à Trajano, ab Anastasio, à Leone, & altero Antonino: deniq; ab Alexandro Severo, & alijs: Non enim jam mihi sumserim, omnes ut commemorem: satis esto quod horum pleriq; suos Legum Doctores honoratissimis titulis & nominibus decorarint. Neq; hisce testibus aures leviter tantum præbeamus, sed si non modo eorum pronuntiata sed facta, non verba sed vitam introspexerimus, nihil eorum judico gravius, nihil eorum testimonijs excellentius statui potest, quippe qui velut ex compacto rem agentes in legum stabilimento & propagatione omnes desudarunt, quotquot de republica benè concupiverunt mereri. Quid Iustiniano opere hoc in negotio divinius est? qui postquam sibi persuasissimum

num habuisset : Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, verum etiam legibus cinctam & armatam esse oportere, sinuosi juris universi volumina, totius regni quasi futura columnina in certum corpus redigit, redacta expolivit, expolita cum æterna nominis sui commendatione memoriæ nunquam interitura consecravit : O deprædicandum opus, ô Imperatoria opus majestate degenum ! & tantum, quantum nullus ab illo unquam patravit Imperatorum. Trajanus quidem ab Imperatoris virtutibus magnus dictus, æmulatus est egregia illa in Legum studiis cœpta, sed cum hanc sibi laudem præreptam videret, superesse sibi autumavit, singularem sibi nominis famam acquirere in eo, ut Legum Sacerdotes magnificeret ; quibus etiam tam fuit deditus ut Neratium ob Juris & Legum scientiam successorem vivus destinavit. Et ad cujus aures non pervenit immortalis illa Alexandri Severi verè Imperatoria virtus ? qui Legum studium in primis regimini suo profuturum videns, Scholas juris disciplinæ erexit eminentissimas, nec tantum hoc, sed etiam ex hisdem exercitatissimos consiliarios selegit, unde, si Lampridio credamus, nullam fertur in suo imperio promulgasse constitutionem, nisi viginti Juriconsultis convocatis & in consilium adhibitis. Quis neget hinc, Auditores, omnium optimos esse Imperatores eos, qui ita de republica merentur ? Quisq; ambiget de nostrisne illos temporibus plus esse meritos, quam de suis ? quippè qui successoribus suis hiscè quasi calcar addere voluerunt ad ea perducenda, quæ laudabiliter cœpta fuerunt. Fuerunt igitur illis ad vivum depictæ prudentiæ imagines ; in nonnullis non amor tantum legum, sed ipsa quoq; cognitio fuit laudabilis. Et quis Legum studium promovere, quis earundem interpretes melius
coho-

cohoneſtare præmijs, adjuvare rebus neceſſarijs, quam
qui eas perdidicerunt ipſi. In alijs mirifica erga Iureconſul-
tos benevolentia, cujus exemplum præbet evidentiffi-
mum jam dictus Imperator Severus, qui Ulpianum præ-
ceptorem tanto amore & honore inprimis affecit, ut
eum pro parente & amico intimo coluerit, quemadmo-
dum ex l. 4. C. de locat. & conduct. & l. 4. C. de con-
trah. ſtipulat. me etiam id non indicante, Auditores,
probè noviftis. Quis hîc non cum Cyno noſtro ſuper
hunc locum in admirationem abiret! tantum valere
legum cognitionem, & tantum poſſe juris ſtadium, ut
ſui excultorem in regum & magnatum amicitias trans-
locet: ſtipes equidem eſt, bardus eſt qui non moveatur
tantis tamq; ſplendidis legalis ſcientiæ commodis, qui
non admiretur illam ſcientiam, quæ ad humani generis
coniunctionem facit, & tranquillitatem rerum publica-
rum, ad principum animos ſibi conciliandos, & ad com-
munem omnium rerum ſalutem comparata eſt. Agite,
Agite, qui in iſdem mecum ad pedes Doctorem & Iu-
riſconſultorum devoluti ſtudio legum avidiffimè tene-
mini, Iſtud Imperatoris Severi ſymbolum, quod Tribuno
dabat, nobis vendicemus, & LABOREMUS in hoc po-
tiſſimum legali diſciplina. Nam graviter in hoc deſu-
dantes curriculo non ſpe fruſtrantur, non plebi adjudi-
cantur, ſed in commune reipublicæ bonum ideò ad pri-
ma ſubvecti ſubſellia ſplendidis & ampliſſimis & mune-
ribus & honoribus deſunguntur, ut aliquid ſingulare ad
commoda publica contuliſſe videantur. Videantur ve-
rò? imò re ipſa & conſilijs conferant, amplificent per-
petuentque. Hinc ñ, qui reipublicæ præſunt à Marco
Tullio (in officijs) dicuntur Legum ſimiles, idemque Lex
loquens nuncupantur, (tertio de legibus) ac eorundem
domus totius civitatis oraculum. Legum

Legum itaque dignitas & majestas eminentissima est; quis non eas admiraretur? Legum præstantia tanta, ut vix cum quoquam alio bono DEorum benignitate hominibus concessio æquiparari queat, Quis eas non veneraretur? Legum amplitudo omnium universalissima, ut nulla gens tam barbara, nulla mens tam profligata impietatis, quæ non aut legibus vivat, aut hisdem morte veatur: Nulla Civitas tam effera, quin Legibus gaudeat, nullus Magistratus tam liber; qui non semetipsum ipsum subjectum percipiat: quis leges non suspiceret, deprædicaret inq; cælum usq; laudibus eveheret? Quis non Leges Legumq; studium adamaret unicè, & in primis magnificeret? Quis non velis remisq; contendet ut per Legum scientiam sibi aliquod inter eruditos nomen acquireret? Faceat torpor & desidia, procul abeat pusillanimis desperatio, quin animi addendi, & naviter tam nobile decurrendum stadium.

Verum enim verò licet non vulgaris hoc ipsum studium legum comiteur difficultas, quis tamen id propterea deserendum putabit? quin imò exinde vel maxime quilibet ejus dignitatem & commodum nobilissimum colliget, Siquidem ea quæ non cuivis sunt obviam sed industrijs demum pervia veram homini nobilitatem conciliant, si omni superata difficultatum mole animo sunt obviam, quæ varijs immersa tenebris primò multifariam latuerunt: Neq; sanè quicquam laudis conjunctum habet, quod cuilibet primò innotescit intuitu. Unde Græcorum diverbium celebratur: Difficilia quæ pulchra; Quemadmodum enim ij, qui periculosissima navigatione in orientales Indiæ regiones vela solvunt, quidvis perpeti sinuosos turbulenti æquoris fluctus & portus experiri coguntur, antequam acquisitis thesauris suo-

suorum prolixè conceptam spem adimpleant; sed ta-
men aliquando exantlatis tot laboribus singulari cum
gaudio restituantur: - Ita quoq; hi, qui studijs difficilio-
ribus sese dediderunt non quidem tanto cum vitæ pe-
riculo, sed labore arduo at ingenuo, difficillimo quidem
sed libero homine dignissimo immensum curriculi æ-
quor emetiri necesse habent, ut reduces suis ingenij do-
tibus, quibusvis vel Arabum thesauris non æquiparan-
dis, & suis honori & reipublicæ emolumento esse que-
ant: Tantum itaq; abest, ut difficilis ad legum cognitio-
nem aditus quempiam arcere possit, ut vel hoc argu-
mento eundem graviter invitare debeat, adeoq; im-
pellere ad gnaviter suscipiendum tantum opus: inpri-
mis cum nihil tam arduum, quod non industria acqui-
ri, nihil tam intricatum quod non expediri, nihil tam in-
sublimi positum, quod non indefesso studio superari
possit. Et si vel maximè initio difficillimum sit Legum
& juridicinæ studium, labore tamen assiduo ita tempe-
ratur, ut postmodò omnium reddatur ob acquisitam
tantam dignitatem, superatamq; tantam difficultatem
amabilissimum: atq; verè cum Comico dici possis; Hæc
dum incipias gravia sunt, dumq; ignores, ubi cognoris
facilia. Et quantacunq; etjam hæc sit difficultas, tanta
tamen non est, ut possit ei comparari, quâ honorum em-
blemata sibi prisce Romani quæsi verunt, non rarò cum tri-
stissima suorum clade, & quandoque præsentissimis vi-
tæ periculis. Hi equidem domi militiæq; fortissimi de
patria benè merentes nomen honestis & heroicis faci-
noribus æternitati consecrarunt; Quid impediet, quo
minùs idem Legum diligens impetret studiosus, siqui-
dem non minùs viri & boni & fortes iudicati sint hi,
qui administratione juris & justiciæ rempublicam tutati
D sunt.



sunt. Unde illud scitissimum de Romanis priscis iudicium:
ROMANUS SEDENDO VINcit. Certè non cunctando
& in otio delitescendo, sed in studijs & legum exercitijs
officio debito defungendo. Non est quod è longinquo
peregrina huc accerlamus ejus rei Exempla, sufficiant
nobis propinquiora. Quid exemplo Pomponij nostri il-
lustrius, qui ut fuit in omni & legum & antiquitatum co-
gnitione quàm versatissimus, ita insuper eorundem stu-
dium in decrepitam usq; senectam sumentissimus, nequè
tantum aviditate quadam sciendi flagravit, sed sibi labori
non parcendum putavit, dum sententias & monita ve-
terum tam arctè habuit commendata animo suo, ut in
l. apud Iulianum 20. ff. de fideicommissarijs libertabus,
affirmare non dubitarit: Se ex discendi cupiditate, quam
unicam vivendi rationem optimam in octavum & se-
ptuagesimum ætatis annum duxerat, cum Iuliano adhuc
aliquid addiscere velle, etiam si alterum jam in sepulchro
pedem habeat. Tantus fervor, tantus conatus, tantum
studium in viris tam præcellentibus, quorum virtus in
tantis honorum fastigijs jam constituta videbatur, ut
dubites, an quicquam ijs honoris aut laudis attribui ul-
terius possit. Quapropter, Auditores studiosissimi,
vobiscum enim ad iusticiæ fanum pronus quasi adoro
Sacrarum legum eminentiam, & illustrem ejus Sacerdo-
rum dignitatem, cum leges ob rerum varietatem & actio-
num mutabilitatem, tantum juris pelagus constituent, ut
accuratissimum exigant nauclerum, cujus directione sco-
puli & rupes vitentur, & absq; periculis felix cursus ab-
solvatur, omni animi intentione, studio & labore eniten-
dum esse, quis diffitebitur, ut optatam optato cursu con-
tingamus metam. Quæ dum certa præfixa est; non
secus ac illi scopum destinarunt penitissimè, qui sclope-
tis aut

his aut faculis momentum constituunt, quod intendant, quam si attigerimus, in tranquillitate animi & veri boni adeptione acquiescere possumus: Hæccine difficultas? quin imò talis ardua gravitas, quæ jucunditati alteram quasi manum porrigit. Nam si nihil jucundius varietate, nihil amabilius plurimarum rerum copiâ, quid insuper studio legum erit suavius, quid expetendum magis? Equidem si qua scientia casuum varietatem & rerum actionum copiam experitur, certè Iurisprudencia est, in qua tot variarum rerum eventus expenduntur & ad amussim legum judicantur. Et cum nihil tam sit jucundum, nihil tam suave, quod si semper sit simile, & nihil unquam varietur, non ilicò abominandam creet molestiam. Iuris utiq; studium omnium erit amabilissimum & summè delectabile, quippè quod est ipsum veræ philosophiæ complementum, & applicat ea, quæ in universalitate ventilantur, ad certas actiones, quarum copia & varietas tanta est, ut ambigas majornè sit jucunditas, an major delectabiliorq; operum DEI contemplatio, cujus iudicium in improbis damnandis & probis defendendis non rarò lureconsulti sententijs, sed ad ductum legum, committitur. O deprædicandam juris legumque jucunditatem! ô amabilissimum earundem studium summa corporis atq; animi contentione dignissimum! Verum enim verò video partim in contrarium à Misonomis nonnulla adferri, partim superiora iniquius detorqueri posse, proinde quod Exleges hi præposterè oggerunt, variè leges mutari & brevi interdum temporis intervallo aut emendari aut planè antiquari, ita ut in una eademq; provincia, republica, iudicio, inq; planè consimilis casus decisione quod modò fuerat justum & honestum, brevi post illicitum & inhonestum judicetur, minimè, inquam, hoc

legibus est assignandum. Non equidem hinc sanctissimæ leges Euripo mutabiliores æstimari, non juris & justiciæ unica & certa veritas traduci debet, quis enim quæso ab omni & iudicio & ratione ita est deturbatus, qui non videat hominum malitiam variam variare sententiarum diversitatem, quis item non vel manibus palpet libidinem & affectus quandoq; insigniter dominari legibus: Quin imò exinde divinitas legum satis superq; efflorescit, quia videmus sublata hac aliam rogari legem etiam à maximis tyrannis. Quapropter tantam legum copiam, tot novè prodeantium responsorum volumina, tot recessuum Imperij, tot constitutionum, tot statutorum myriades quæ memoriæ indies consecrantur, quid aliud produnt nisi casuum & eventuum multitudinem, humanam perversitatem, cui medela quærenda est, quibus si sufficias dijudicandis & Argo oculatior & Oedipo perspicacior & cunctis sapientior sis oportet, nec tamen ad votum sæpe numero lata erit sententia. Nonne ad morum & vitæ incertitudinem, personarum causarum, loci, temporis, aliarumq; circumstanuarum differentiam id applicandum quod convenientius est? Non secus ac carbasa navis avehendæ tradita & illigata à provido nauclero dirigenda sunt & obliquanda, prout cursui proposito profunt; & Medicorum solertia in medicamentis appositis convenientibusque occupata est, ne ut Empyrici circumforanei uno collyrio cunctorum oculis glaucoma faciant;

Quæ jam legalis disciplinæ hinc adstruitur incertitudo? nulla. Quæ mutatio? salutaris nempe. Quod si dixerint, in novis constitutionibus discessisse recentiores à priscis, quis non eam novam formam admiretur, & suspiciat, cum aliquid præ se ferat singulare? Ac-
creve-

creverunt etiam artium & disciplinarum studia, & ferè ad suprema fastigia pertingunt, quis vituperabit? Religio pariter à DEO mirabiliter restaurata floret, & quidem alia forma, quanquam eodem tenore salutis, quis exinde eam in suspicionem hæreseos trahet? Legum variationem diversitas loci, differentia temporis, variatio personæ & rei Sapientibus suaserunt, quis eas propterea abominandas censebit? Si quem turbet quod singulæ provinciæ ferè suo vivant jure; is noverit promulgationes statutorum esse varias, sed legum & juris unitatem plerumq; servari, nisi fortè tempora, rerumq; vicissitudines aut hominum mores diversum quid superingerunt, quod non legibus, sed his acceptum esse ferendum cuius apertissimum est.

Quorsum item querela de intricata Juris methodo, de perplexis sinuosorum voluminum decisionibus? horum arbitror, quia Senis illius, cujus Seneca meminit, utuntur oculis. Is enim cum ætatis vitio cæcutiret, in quocunq; conclave penetraret, dicere fuit solitus, illud parum luminosum esse, majores fieri fenestras oportuisse; Nonne id hominum ipsorum vitium est, quod juris studio & sacratissimis legibus impingitur. Neque etiam sententiarum discrepantia varia quenquam terreat, Hæcne tanta ut ob eam Juris studium vilipendi, Sacræ Themidos Sacerdotes negligi debeant, cum opinionum diversitas & sententiarum varietas reliquis disciplinis nihil de sua derogat dignitate. Quis enim quæso (ne quid de Theologia & alijs facultatum disciplinis dicam) philosophiam probris contumelijsq; afficit, quod tot rerum naturalium principijs inveniuntur sententiæ, ubi Thaleti Milesio aqua, Anaximeni aër, Anaxagoræ anima, Epicuro atomi principium rerum astruuntur. Quis

Civilem prudentiam hinc negligendam putet, quod de
summo bono tot ferè sententiæ quot capita? Quod juris
igitur in his deprehenditur, quæ id ipsum legibus non con-
veniret! Tollantur obstacula, removeantur impedimen-
ta, quod unicè præceptorum nostrorum nobis omni in
vita celebrandorum industria & prudentia felicissimè ex-
pediit, & adhuc allaborat; quorum ductum si secuti fue-
rimus, omnis illa perplexitas & difficultas expirabit & le-
gum dignitas, vigor & sanctitas semper facta tectaq; con-
servabitur. Proinde, Auditores, cum Sacratissimarum
legum dignitas tanta sit, ut nulla ferè alia cum ea com-
parari queat, atq; earundem utilitas summa, necessitas
maxima, jucunditas expetenda, difficultas non reformi-
danda sed suspicienda & suscipienda, quis est qui eas non
omni laudum encomio celebrandas judicaret? APAGI-
TE igitur os fores Jurisprudentiæ & ro fores legum, adsi-
mus econtrario quibus æquitas, candor & honestas cor-
di, quibus salus patriæ, incolumitas reipublicæ, suorumq;
spes & prolixè conceptæ expectationes curæ sunt.

Hic distribuuntur laborum præmia, hic vera laus pa-
ratur, legum & juris honore stante salvo, stabunt illæsa
omnia, quæ universo terrarum ambitu continentur.
Nusquam virtutum studium; nisi ubi leges vigent, nus-
quam pietas in DEUM & parentes, nusquam patriæ cha-
ritas, nusquam fides, ubi legum expertes dominantur. O
aurea catena honestatis Leges! o expetenda virtutum
conservatrix Jurisprudencia! te admiramur, te summa lau-
de celebrandam; Te nostra omnium deprædicatione
majorem arbjramur.

D I X I.





Prestantissimo ac Doctissimo Juveni

Dn. MARTINO SILLERO

Amico meo.

Quæris, ubi **PALLAS** sua pulpita fixit?
ad ades

SILLERIANAS pergito.

Arte sibi partis opibus **SILLERVS** ho-
norum,

Arcem Minervæ perpolit:

Illic sunt sylva, viridaria, flumina, montes,

APOLLO, MUSÆ, GRATIÆ,

Illic VIRTUTIS fortunatissima sedes,

ROSÆ probant hoc pulpita.

publicè oranti χαιρει

M. PETRVS Höppener/ Poëta Coronatus.

Quid laudem? Themidem? mangonis merx proba nescit
Clamosi scloppum: sat videt illa suos.

Ante? non Themidem nec te, quem laude propriam

Cantando Astream propria charta canit:

Quâ longum dignus, dum perplacet ire redire

Ad pia Mnemosynes templa Dicaq, sacra.

Unde diurnanteis Respublica publica sumit

Parteis, & factat civica tecta sibi.

Unde



AK TH 622

LOT MC



D
Ser
min
Bra
ma



laric
Clar
tate
stud
poti
stitu
risq
ST
rit,
sine



Viro ,
O RAPPE,
Electoris Do-
NDI, Marchionis
xc. Confiliario pri-
maniorum studio
meo Domi

ac Magnifice, publicè
Academia, approbante
fco Dn. ERNESTO
cto celeberrimo, Illu-
mini, Dn. JOANNIS
polensis, &c. Cancel-
ostochiensis Professore
te, amplitudine, utili-
endi causa, orationem
habui, eam silentio
animum quidem con-
apud nostros superio-
i elegantioriꝝ filo &
per mihi animus fue-
er salutare, idqꝫ non
d majus ob temporis
injuriarum

